

SYNAGOGIS QUI PRÆFUERUNT.

Synagogis præerant potissimum Scribæ, quia eorum erat conciones habere ad populum, & Scripturas exponere, nec non PHARISÆI, quibus id quoque cum Scribit fuit commune, & utroque Christus increpat; quod cum sederent super cathedram Moysi, clauderent populo regnum cælorum Math. 23. 2. & 13. perperam declarantes Scripturas, & ex proprio sensu, quem illis avaritiam, & ambitio dicitur.

Qui autem primùm inter eos locum in Synagoga tenebat ARCHYSYNOGOS, sive princeps Synagogæ nominabatur: quemadmodum in scholis, qui Decanus facultatis, aut etiam Cancellarius appellatur. Vide Sigonium 2. de Republ. Hebræorum, c. 8. lib. 5. c. 10. & Toletum Joann. 16. Annotat.

Synagoga, & Ecclesie discrimina varia, quantaque bujus præ illa dignitas, splendor prærogativæ, colligere est ex Loco de Ecclesia, Et scriptis altercationem Ecclesie, & Synagoga ante annos trecentos, & plures Auctor quidam, cujus nomen ignoratur, qui tamen floruit tempore Caroli Magni Imperatoris, ut colligunt, qui eandem evulgaverunt.

* Synedrion,

QUID FUERIT APUD JUDEOS.

SYNEDRION Græci vocabant solemne quoddam Judæorum Concilium, quod Thalmudistæ appellabant mu-

tuata voce *Sanedrin*, compositum ex lxx. Senioribus, qui erant velut Senatores: xlii. Principibus populi, pro numero 12. tribuum Israel: xxiv. Principibus sacerdotum, qui totidem classibus eorum præerant. Ex Scribis denique nonnullis, qui erant velut Legis interpretes, quos & Prophetas nominat Josephus; idque ultra summum Pontificem, & eos, qui ex illius voluntate adsciscerentur. Meminit illius Lucas *Ab. cap. 4. vers. 5.* & Christus *Math. 10. Tradent*, inquit, vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. Laurent. Beyerlinck in *Tractatu Synodico cap. 3. Coriolanus in summa Concil. Lorinus in Acta Apost.*

Synodus.

Vide CONCILIUM.

Syracusanorum Duces, Reges.

Quære in Loco de Fortitudine, & in Loco de Magistratu. Tit. Magistratus Chronologicè consideratus.

Syriae Duces, Reges.

Quære ibidem.

FINIS LITTERÆ S.



THEATRI VITÆ THUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK, ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI.

Littera T.

* Asterisci Titulis sive generalibus, sive secundariis, rebusve sub iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt Indices.

A T. Littera.

CUJUS REI NOTA APUD VETERES.

AC PRIMUM, VITÆ, SALUTIS, MORTIS.



UT JUS litteræ usus multiplex apud veteres fuit, uti ex variis Scripioribus colligitur. Et primùm quidem apud Romanos nota erat suffragii Tribunorum, si quando in Senatusconsultum cum aliis Senatoribus, qui numero centum comparare debebant, conveniebant, testatur F. Bald. libro primo Instit. Titulo 11.

Fuit insuper nota vitæ, & mortis, unde olim veteris militiæ notarii apud Ethnicos, ut auctor est Bozius lib. 2. de Cruce Triumphantis; penes quos erat album, cui nomina illorum, qui militiæ nomen dederant, inscribi solebant, id curæ habebant, ut rivorum, ac mortuorum sedulam inirent rationem. Utique in promptu esset scire, quot superstites essent, quotque in bello cecidissent, in margine, atque in Capite nominis cujusque viventis militis litteram T, annotare consueverant. Ad caput verò mortui cujusque Θ Græcum scribebant. Cujus figura quasi telo per medium transfixa representatur, nempe à signo mortis, quom Θévωτος appellatur Græci. Quo circa Persius volens admonere vitium penitus in nobis extingendum, ita dicit Sat. 4. Et potis es nigrum vitio præfegere Theta. Ubi videre est Poetis hanc litteram nigram, & insaufam fuisse, ideòque & Mortualis appellata. Martialis lib. 7. ad Castricum. Nobis mortiferum quæhoris, Castrice, signum? Est opæ pretium dicere Theta novum. Cicero pro Milone vocat litteram tristitem, tum quòd lapidibus sepulchralibus insculperetur, secundum Liphium: tum quòd in Judicis calculo inscriberetur Θ, judicantes reum esse damnator.

Itaque etiam apud Judæos Θ signum, & nota erat damnationis, id est, mortis. Unde Ausonius Epigram. 130. Miselle doctor, s tibi sit observatio, Tuumque nomen Θ scilicet signet.

Quo loco Scaliger commentatur, s fuisse notam suspendii: refert enim laqueum collo involutum. Θ littera condemnato-

ria, quin & in castris militem expunctum significabat, verum Epiè, & eleganter ille.

Infelix multis Theta est, mihi littera felix, Si dederim scribit, scribit & illa Sior

SALUTIS.

Cæterum Græcis pariter, ac Latinis, uti & veteribus Hebræis, littera Tau erat nota salutis, ac vitæ, & eodem modo olim scribebatur, habebatque figuram Crucis. Immo & Aegyptii Serapidis pectori Tau inscribebant, quasi signum futuræ vitæ, volunt alii Tau significare תיחיה id est vivescatis verò ex quo ultima est litterarum Hebræicarum, & initialis vocis Thora, quæ legem significat; statum perfectorum, qui vita sunt digni.

CRUCIS.

Certe apud Ezechielem jubetur Angelus transire Jerusalem per medium civitatis, & omnes gementes, ac dolentes super cunctis abominationibus, signare in fronte signo Tau, omnesque percutere, qui illo signo signati non essent, ubi G Syri legunt signa Crucem, pro eo quòd nos habemus signa Tau, est namque Tau crucem representans, unde ad illum mysterium totam hanc Ezechielem visionem referunt. Et Tertullian. lib. 3. advers. Marc. cap. 22. Ipsa ait, littera Græcorum Tau, nostra autem T, species Crucis.

Illud sanè hoc loco considerandum est, quòd D. Hieronymus pluribus locis asserit, Hebræos, priusquam in Babylonicam servitutem captivi abducerentur, habuisse litterarum characteres, ab his quibus hodie utuntur, forma, atque figura valde dissimiles. Habebant enim tunc adhuc, simulque cum Samaritanis iisdem characteribus utebantur, quos ab ipso Moysè H accepterant. Verum Eldras Hebræis ipsis postliminio reversis, ea potissimum ratione novos characteres dedit: ut quemadmodum divino cultu dispari, disparibusque moribus à Samaritanis vivebant; sic dissimilibus quoque in scribendo litteris, & characteribus uterentur, ab illis, qui infideles, idololatæ, & hebraici nominis hostes habebantur. Quamobrem vetustiores illi characteres diutius apud eosdem remanere Christianos, quibus adhuc usque ad S. Hieronymi tempora utebantur. Ideò restatur ipse inter characteres illos, qui apud Samaritanos ipsis etiam temporibus suis erant in usu; Tau

Tau litteram, Crucis formam, & imaginem retulisse. Sic enim inquit: Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie Samaritani utuntur, extrema Tau littera Crucis habet similitudinem, quæ Christianorum frontibus pingitur, & frequenter in inscriptione signatur. In Ezech. cap. 9.

Cujus quidem mutationis Hebræorum characterum formam, quam fecerat Eldras, ac de Crucis figura, id est, Græcæ litteræ X, quam antiqua littera Tau referebat, ipsi etiam Rabini Hebræi fidem faciunt, ac inter eos præcipue Rabbini Azarias in suo Abecedario.

Quin & litteram T, speciem esse Crucis, ipsi etiam Ethnici notare Scriptores: inter quos Lucianus in parvo illo Tractatu suo, cui titulus est Διον γωνιων, id est, Judicium Vocatum, fingit in judicium aliquando vocatam litteram hanc Tau à Sigma: cumque ambæ coram Judicibus constitutæ essent, venissentque in disputationem, ac contentionem gravissimam, & atrocissimam, ipsi Tau à Sigma esse intentam querelam, illudque furti, ac rapinæ insinulatum; ut potest, quod aliena dolose invadens, atque furtivè, litteram ipsam Sigma à clausulis dictionibus violenter expulisset; & loco illius, ipsam Tau nullo voto legitimo, nulloque intercedente decreto, temerè se ingressisse, & intrusisse.

Quocirca æquum videri sibi, ut tanti furti, & latrocinii meritis poenæ daret, in eomet patibulo, cupis ipsam formam, & figuram referbat; id est, in Cruce. Sic enim ille: Plorant homines, atque vices dolent, atque ipsum Cadmum execerant, quod Tau in litterarum genus induxerit. Ajunt enim Tyrannos, ejus litteræ corpus secutos, atque figuram imitatos, postea simili figura ligna fabricasse, in quibus homines suspendant: atque ex hoc huic tam perniciosæ fabricæ pessimum nomen obvenisse: Propter ista omnia, quot mortibus ipsam Tau dignum iudicatis? Ego quidem existimo, merito hoc solum ad supplicium ipsius Tau relinqui, ut poenam in sua illa figura sustineat, quod Crux ab ea fabricata est, & ab eo nomen illi homines imposuerint, Hæc Lucianus.

DE TAU GALLICO.

Pro Tau Virgilius in Casal. ad Tuceam etiam Crucem intellexit, quod his versibus suis licet subobscurè aliquantulum, expressit Crucem ipsam, Tau Gallicum appellans.

Corinthiorum amator ille verborum, Hic, iste Rhetor: namque quatenus totus Thyrsides Tyrannus Atticæ febris Tau Gallicum spina ipsimet malè illis, Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

Quamobrem Joannes Goropius Becanus cum rationem diligenter inquireret, cur Virgilius Crucem ipsam Tau Gallicum, quam Tau Græcum, vel etiam Tau Hebræicum appellare maluerit; testatur, rerum antiquissimarum majorem cognitionem, quam nemo alius Latinorum auctorem, habuisse Virgilium: quippe qui non solum diligentissimè evoluerat, atque pervestigaverat omnia, quæ de scientiarum principis, deque antiquitatum notabilibus monumentis, præcitur Græci tum Latini auctores scripserat reliquerant; verum etiam in rerum sacrarum, ac reconditarum illarum notitiam, & cognitionem penetraverat, quæ his tantummodo, qui solentium extremis illis initiabantur, atque ad illarum professionem peculiari ritu admittentur, cognita erant. Quocirca cum ipsa sibi adscribit, atque inter opera sua publicavit. Quare putare se dicit idem Becanus, intellexisse Virgilium à quopiam illorum Sacerdotum, qui Druides appellantur, vel fortè aliunde habuisse notitiam, illos characteres scilicet, illasque Litterarum figuras, inter quas erat Tau, prius apud Gallos, quam apud Græcos in usu fuisse; idèque Tau Gallicum Crucem ipsam appellare voluisse.

Calvus Rhodiginus lib. 6. cap. 8. tradit, Crucem idè Tau Gallicum appellatam esse, quia Galli Crucem ipsam ad Tau formam construere solebant: atque hinc factum esse dicit, cur apud plerosque celebres auctores ipsum Tau pro Cruce ponatur.

TAU. SYMBOLUM, ET NOTA NUMERI TRICENTENARIUM. Scribit S. Augustinus, litteram T, apud Græcos significasse tricentum: idèque intelligens, atque prævidens hoc mysterium Gedeon, cum invasurus esset Madianitas, exquisit-

simo militum electo primam habito, pro confidit, ac pralio illo, trecentos viros tantummodo sibi adscripsit; ut innumeret, mundum non in vobis numerose multitudinis, ab impetu, atque oppressione immanium hostium, sed per Crucis sacramentum liberandum esse: Prævidit, inquit, mysterium sanctus Gedeon: denique elegit trecentos viros ad pralium, ut ostenderet, non in numero multitudinis, sed in Sacramento Crucis, mundum ab incurfu gravium hostium liberandum. Trecentenim in Græca Tau, similitudinem Crucis ostendunt.

Quod idem scripsit S. Paulinus Nolanus Episcopus in sermone 2. post Dom. Passionis; asserens Christum non in multitudine copiarum, aut legionum robore debellasse adversarios Principes, demones scilicet, principes tenebrarum, sed in Sacramento Crucis, cuius figura trecentorum numero per Tau Græcam litteram representatur: Sicut ille, inquit, non virtute legionum, nec multitudinis, sed jam tunc in Sacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur; adversarios Principes debellavit.

Litteram denique Tau fuisse litteram censoriam, & Re-quire loco de Justitia, Tit. Justitiae cultores. Censores morum, &c. & in Professo in loco de Scriptura, Tit. Nota Scripturæ, §. Nota Judicialis, ut Grammatica.

ΘΑΝΑΤΟΥΣΙΑ

ERat festum, atque agon apud Inferos cuius, Lucanus meminit de veris narrat. Avastros verò apud Perfas erant milites illi, qui in demortuorum locum substituebantur: erantque semper numero decem millium, nec plures, nec pauciores, erantque præ aliis, ut cultu, ita & virtute præstantiores. Herodotus lib. 7.

* Tabellarii. Nuntii.

Quare, loco de Mechanica. Tit. Opera Mechanicæ vicaria, agentes pro homine, quoad corpus. Putà qui pro alio quid ferunt: nempe Litteras, &c.

Item Tit. Mechanicæ opere motrices, quæ rem aliquam gestant, vel ferunt, ut Bajuli, Ceruli, &c.

* Tabelliones.

Tabelliones erant publici contractuum scriptores, lib. 2. c. de Emendis. Item qui testamenta scribebant, l. ambiguitates, C. de Test. Servabant etiam omnia publica instrumenta, teste Cassiodoro l. 12. epist. 21. vide Novell. 49. 52. 73. 117. 142.

Taberna.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

Tabernæ vult Isidorus olim vocatas adiculas parvas plebejorum, & simplices, in vicis, apibus, & tabulis clausas, unde & Tabernariæ, quod ibi soleant consideri. Dicitur autem volunt tabernæ, quod tabulis ligneis essent constructæ.

Alioquin Tabernæ dicitur Latinis, in quibus omnis generis edulia vendi, ac in quibus comestari, atque epulari solebant.

Tabernæ diversoriarie à Suetonio in Nerone appellantur, Cauponulæ, & loca ad divertendum comparata: idque ad differentiam earum, in quibus venales exponuntur mercès, unde taberna carnaria, vinaria, unguentaria, neque dubium, quin exhinc Gallicum nomen Tavernæ emanaverit.

Ufus interim obtinuit, ut taberna dicitur quivis locus, sive ædificium, in quo res quævis venales prostant, & differt, ut volunt Grammatici, ab officina, quod in hac opere efficiantur; in illa verò vendantur. Tabernam vinariam Latini cauponam vocant propter eduliorum, quæ ibi exponuntur copiam ita appellatam, unde & cauponæ: quos tamen à cupis vinariis dicitur vult Isidorus. Pro ultima hac usurpatione nonnulla elici poterunt ex loco de Ebrietate, Bibacibus, &c.

* Taber-

Tabernaculum.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

Tabernaculum in generali, significat quodcumque tectum, vel domum, & dicitur Sacra Hebræis, à radice Sacan, quod significat velare, operire, tegere, unde & Miscan ab eadem radice idem est, quod habitatio, commoratio, vicinia. Strictius tamen, & apud profanos etiam scriptores, usurpatur pro tentorio, & appellatur ab Hebræis Obel, à radice Abal, quod extendere, sive expandere significat, & ita accipitur Gen. 13. ubi Abraham legitur movisse tabernaculum, id est, tentorium, hinc & Latini tendere usurpant pro extendere tentorium, ut apud Livium l. 7. de bello Macedon. Coarctatio plurium in angustia tendentium. Et Virgil. l. 2. Aeneid. hic serus tentabat Achilles.

De Ismaele, quoque dicitur in facris litteris Genes. 16. E regione sitarum suorum figet tabernacula, id est, illis bellum indicet instructo exercitu, fixisque tentoriis.

USUS VARIUS.

Tabernaculorum usus erat olim potissimum in castris, ut etiam modo: ubi nihil frequentius extensione tentoriorum castrorum, sub quibus miles depellat injurias aeris: & supellectilem suam, ac commeatum servet. Constat certè, filios Israel totis annis xl. in tentoriis, sive tabernaculis commoratos in deserto, sine aliis habitaculis, unde in illis rei memoriam institutum festum Tabernaculorum, ut dicemus statim.

Secundo Tabernacula feriebant hostibus expiendis, & peregrinis, idque pro commoditate temporis, & loci, quo sine Abraham etiam describitur tendens tabernaculum, & peregrinis hospitalem impendisse. Genes. 13. & alibi, ac secum illud tulisse quocumque pergeret, unde mox illud dicitur.

Etiam pastoribus, quibus in oppidis certa mansio esse nequit, sed in agris suo gregi vigilare solent, tentoria usui sunt, ut ita facilius loco in locum commigrerent. Sic apud Jerem. cap. 35. vers. 7. Rechabim dicitur, quod in tabernaculis habitarent.

Denique in lege veteri Deus præcepit fieri tabernaculum, velut templum mobile, ac portatile, in quo preces suorum exaudiret. Eratque velut domus Dei, in qua cum Hebræi colebant, & ipse vicissim significabat eorum protectorem, & umbraculum. Erat igitur inflat tentorii caltrensium, quod per desertum cum illis ambulabat; poteratque per partes dissolvi, & convasari, quando erant movenda castra. Sed de hoc paulo post.

MATERIA.

Tabernaculum fuisse inflat tentorii, quod expandebatur, & finibus solo adherentibus sustentabatur, ne in alteram partem collaberetur, ex dictis constat. Fiebant autem Tabernacula aliquando ex sagis, cilicio, plis caprarum, aut camelorum, ut constat Exod. 26. At frequentissimè ex corio, & pellibus, quare tum apud sacros, tum apud profanos, pelles pro tentoriis, & tabernaculis usurpari vides: Cujusmodi sunt pelles Salomonis, Cantus. 15. quibus in festo Tabernaculorum utebantur, & pelles terræ Madian, Habac. 3. 7. id est, cættrensia Madianitarum tabernacula, unde & Pelliones dicti, qui pelles conficiebant, atque parabant, sub quibus milites hyemarent; quorum in enumeratione aliorum artificum meminit Paternus lege ultima, C. de jure immunis. quo loco depravatè D legi Pelliones, emendatè Pelliones, eruditi observant.

Meminit etiam tentorium pellium Popiscus in Aureliano. Frequens quoque illud apud Casarem, & Livium, sub pellibus hyemare. Atque illud peculiare Decad. 1. lib. 5. Militem Romanum in opere, & labore, nivibus, primumque obrutum, sub pellibus durare.

Tabernaculorum fabri. Quare Officines Mechanicæ, considerari secundum organa, quæ faciunt.

TABERNACULORUM FESTUM.

QUOD. UBI. ET. QUA. DE. CAUSA. INSTITUTUM?

Festum Tabernaculorum à Deo in deserto institutum est cum aliis duabus præcipuis festivitatibus anni, Exod. 23. vers. 16. eratque in ordine festorum sextum numero, & celebrabatur demum in exitu anni post collectas omnes fruges. Diebatur autem hoc festum à Græcis scenopegia, à figendis tabernaculis: quæ enim tabernaculum est, & scenopegia, sive

compactio. Ridiculum est, quod putant Abulenſis, & Radulphus scenopegiam dici à scenopegia, id est, comædia, & scenæ, id est, comædiis: quod hoc festo Judæi comederent in publico, sive loco communi.

Institutum est hoc festum in memoriam professionis divine, quæ Hebræos in deserto ita protexit, ut sine domibus in Tabernaculis per 40. annos in hyeme, & æstate viverent. Quare in deserto nunquam celebratum est hoc festum, quia ibi agebatur ipsa rei veritas, & continuum quasi festum Tabernaculorum; sed postea in ejus memoriam quotannis celebratum est in Chanaam, ita ut partim in urbe, puta in atris, foris, plateis, hortis, quin & domatibus, id est, tectis domorum, ut patet Nchem. 8. vers. 16. partim extra urbem, cum tutum esset, Tabernacula construere, ex lignis, sive palis, quibus alii pelles, alii ramos, alii lineæ circumducebant, uti fit in tentoriis castrensibus, in iisque ad septem dies habitarent. Cum enim extota Judæa Hebræi Hierosolytam conveniret hoc festo, & singulæ familie singula Tabernacula exeruerent, ait Joseph. lib. 3. Antig. cap. 10. nequaquam tot in urbe constructi poterant, quot omnibus fuissent. Estque verò simile ita disposita fuisse Tabernacula, ut quasi urbs quædam fieret, & singulæ familie scorum, omnesque per vicos, & plateas distinctæ, & ordinatæ habitarent: ita enim facebant per desertum peregrinantes, cuius rei memoriam tunc recolebant.

Secundo hoc festum institutum est in fine anni, puta in Septembri post collectas omnes fruges, ut de iis gratias ageret Domino, idèque omnes masculi hoc festo templum adire, suæque dona afferre debebant, ut præscribitur Exod. 22. 14. 25. sequentibus.

De holocaustis, & victimis, quæ singulis hæc septem diebus mactabantur. Vide Num. 29. 12.

Denique Hebræi septimo die hujus festi circumant altare septies, portantes ramos, in memoriam expugnata Jericho à Josue septeno urbis circuitu. Josue 6. vers. 16. Colliguntur hæc omnia ex cap. 23. Leviticæ.

Porro Plutarch. lib. 4. Sympos. Problem. 5. disputans quomodo Judæi abstinebant suilla, hujus festi mentionem facit, & illud comparat cum festo illo trienniali, quod in honorem Bacchi celebrabatur, & probat inde, Judæos coluisse Bacchum. Pulchre hanc festivitatem cum ea, quam Plutarchus describit, confert Guil. Stuckius l. 1. Antig. Con. vidualium, cap. 23.

RITUS, ET SACRIFICIA.

De his ita Moyses. A quinto decimo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis festum Domini septem diebus, die primo; & die octavo festi Sabbatum; id est, requies. Sumetique vobis die primo (festi scilicet Tabernaculorum) fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lebanini coram domino.

Nota, quod in festo Tabernaculorum jubentur Judæi manibus gestare quatuor Arborum ramos, vel fructus; primo, arboris pulcherrimæ, id est, Citri: ita Chaldaus, unde & Josephus fructus hujus arboris vocat mala Persica; mala enim citria, aut forte Dioscorides, vocantur persica, & medica; quia ex Persia, & Media in Italiam sunt advecta, teste Plinio. Citrum fuisse hanc arborem docet etiam R. Moyses Ægyptius lib. 3. Moræ, cap. 41.

Cui non obstat, quod S. Hier. in 2. 14. Zacharie dicit fuisse Cedrum, quia per cedrum citrum intelligit, nam mala citria etiam cedromela, quasi mala cedri vocantur, teste Dioscor.

Secundo spatulas, id est, ramos palmarum, ita LXX. Tertio, ramos ligni densarum frondium, id est, myrti, ita Josephus, Chald. & R. Moyses supra.

Quarto, ramos salicis. Harum ergo quatuor arborum pulcherrimum, diuque virentium, atque odoratarum (citrus enim, & myrtus boni odoris sunt) ramos in festo tabernaculorum gestare debebant Hebræi; ut recordarentur, se à solitudine in terram feracem, & arboribus optimis abundantem translatos esse; gestare inquam, non tantum primo die festi, ut censur Abulenſis; sed per septem continuos festi dies: hoc enim est, quod ibidem dicitur: Celebrabitis solemnitatem septem diebus, & ita intellexit R. Moyses, Burgenſis, Robera, & alii, id que, ut per septem dies significaretur, Hebræos multis annis commoratos fuisse in desertis, indeque plenum gaudium in terra promissa eis obvenisse.

Quinto, gestantes hos ramos, & fructus saltabant in festo quatuor coram Domino. Tripudius enim solebant veteres celebrare

lebrare sua festa, ut patet 2. Reg. 6. 14. Emod. 32. 19. Emod. 19. 20. A ita Abulens. qui & addit: Dicunt aliqui, inquit, quod quando Judai habebant istos ramos in manu, habebant cum eis colligatos & fructus, & sic saliebant elevantes, & deprementes illos fructus ad omnem differentiam positionis, quo significabant, id esse ad laudem Dei, qui erat Dominus omnium positionum mundi. Simile fiebat in theruma, sive oblatione Sacerdotum.

SYMBOLA, ET SIGNIFICATIO.

Mythicè, septimus mensis est tempus gratiæ. Primum ejus festum est Tubarum, id est, prædicatio Apostolorum. Secundum, expiationis, id est, penitentia, & contemptus illecebrosorum voluptatum, cui studere debent omnes verè ad Deum converti.

Tertium Tabernaculorum; quia tertius vita Christianæ gradus est vivere hic uti in tabernaculo, per septem dies, id est, tota vita, ut scilicet utamur rebus sæculi quantum necesse est, non amplius, & tota mente per desertum hujus mundi festinamus ad cælestes mansiones, ut dicamus cum Plalte: Incola ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei, in casulis enim habitavit Abraham, cum Isaac, & Jacob cohereditibus reprimissionis ejusdem.

Celebratur autem 15. die, cum Luna decretere incipit, quia qui bona sæculi fluxa, & caduca (quorum Luna est symbolum) cognoscit esse, hic festinat ad æterna. Septem ejus diebus continè offerimus holocausta, quia totos nos, nostraque omnia Deo consecramus. Gestamus 1. Citrum, qui color est aureo, id est, ardentem charitatem, quia toti Dei gloriæ, & fratri utilitati incumbimus. 2. Spatulas palmarum, quia quasi victores terrena omnia calcamus, dum nostra conversatione in cælis est. 3. Lignum densarum frondium, putà myrtum, id est, odoriferam virtutum omnium densitatem, & continuum earum exercitium. 4. Ramos salicis virentes, quia stabili firmitate in nostro virtutum statu, & virore perseverare debemus. Hi de torrente sumuntur, quia nisi crebro in lege Dei medicemur, Deique gratiam imploremus, marcescet in nobis ille animi vigor. Vide Psalm. 1. 3. Hæc qui fecerit, lababitur coram Domino, & hilarem semper in eodem vitam ager.

Rursum S. Hieron. in cap. 14. Zachariae, per lignum pulcherrimum accipit sapientiam, per palmas victoriam per myrtum mortificationem, per salices castitatem. Nam medici, & Physici, inquit, tradunt, quod si quis salicis florem mistum aqua biberit, omnis in eo frigescat calor, & libidinis vena siccat, ut ultra filios generare non possit. Hæc ornati in tabernaculis hujus vite pariter, & armati, tendimus ad domum nostram paratam in cælis. Salices ergo, æque ac lactuca, agnus castus, &c. humorem venereum minuunt, & castitatem fovent, ac tumentur.

Quartum festum sequens, & finiens festum Tabernaculorum; putà ejus octava, est festum cætus, & collectæ, hoc significat octavam resurrectionis, quando ex Tabernaculis hæc exeuntes colligemur ad concilium, & congregationem Sanctorum in cælis, de qua canit Plaltes: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, tunc nullum opus servile faciemus, quia tunc cessabit omne peccatum, omnis etiam labor, & dolor. Offeremus holocaustum Domino, quia totis viribus, totaque conversatione animæ Deum speculabimur, & amabimus; ibi enim implebimus illud: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua, & illud: Benedic, anima mea, Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, ita Radulph. ex parte I. scilicet. atque ex parte II. Ribera lib. 5. de templo cap. 10. sequent.

ALLEGORIA.

Rupertus appositè, & eleganter hæc allegoricè commodat festis Natalitii Christi Domini. Sicut enim Pascha, & Pentecoste Judæorum, inquit, significabat Pascha, & Pentecosten Christianorum; ita festum Tabernaculorum, quod in exitu anni celebrabatur, significabat festum Natalis Domini, quod in fine anni celebratur. Tum enim lætandi terræ nostræ virginæ, putà B. Mariæ fructum, scilicet Christum Bethlehem colligimus, & fructum arboris pulcherrimæ, id est, Virginis intemperatæ filium in Eucharistia tibi offerimus, & sumimus, Christus enim in stabulo, & hospiti natus est, ut hic nobiscum quasi in tabernaculo versaretur, nosque ex eo ad patriam cælestem perduceret; adfunt & palma, hoc enim

Christi festum comitatur, & sequitur S. Stephani martyrium, & victoria: adest, & lignum densarum frondium, videlicet sanctus Joannes densa, & altissima mysteria crucians, adfunt & parvuli Innocentes, qui quasi salices de torrente fructum operum non habentes, subito per solum Dei gratiam, ad virtutem salierunt æternæ patriæ, & paradisi cælestis.

* FESTI TABERNACULORUM OCTAVA.

Ejus Institutio, Solemnitas, Ritus.

Octavam hujus festivitatis etiam celeberrimam, ac solemnem haberi, jussit per Moysen Deus. Est enim inquit supra versu 30. dies cætus, atque collectæ, eratque hoc septimum festum Judæorum, quod à Joanne Capite 7. vocatur dies magnus festivitatis. Notandum autem hoc festum dici collectæ, & cætus, non tam collectæ pecuniarum, aut elemosinarum, uti volunt Abulens. Lyran. Cajetan. Oleast. quam hominum, & populi, qui congregabatur octavo die in tabernaculo, & postea in templo, ut simul adunatus gratias ageret Deo solemnis sacrificiis, quod post longam illam in deserto peregrinationem, omnes tribus salvæ venissent in terram promissam, quasi terminum, & sedem suam, camque quiete possiderent. Simili ratione dies septimus azymorum, vocatur dies cætus, & collectæ; eo quod omnes eo die simul convenirent ad agendum gratias Deo, quod eos in Ægyptiaca servitute dispersos adunasset, & simul eos inde eduxisset.

Quod autem de collecta; non pecunia, sed populi hic agatur, indeque festo inditum sit nomen cætus, sive collectæ, patet primo, quia in Hebr. hoc festum vocatur aseret, quod significat cætum, sive congregationem, non pecuniam; sed populi. Secundo, quia Chaldaei apertissime hanc vocem aseret vertit, Kenf. in I. Iob. id est, collecti eritis. Tertio, quia Septuaginta semper hanc vocem vertunt ἕθλον. Exodium autem teste Theodoro quest. 32. finem festorum indicat; & exodium apud Liv. lib. 7. Juvon. sat. 6. Pollucem lib. 4. Suid. & alios carmen erat, quod in exitu alicujus maximæ solemnitatis, aut scæne canebatur. Juvenus, inquit Livius, & hiltronibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo, ridicula in-texta verbis iactare cepit, quæ inde exodia appellata, confertaque fabulis, potissimum Atellanis, sunt. Unde eo alludent. Certeque festum hoc exodium vocantur, eo quod clauderet solemnitatem festi tabernaculorum & publica, & communi gratiarum actione, & plausu, quo peracto tabernaculis exeuntes, quisque ad suas sedes, & urbes remeabat.

Similem quoque collectam fecit rex Salomon, non pecuniæ; erat enim ipse ditissimus, & liberalissimus, sed populi, in octava dedicationis templi. 2. Paralip. 7. 9. Potuit tamen hoc festo fieri collecta pecuniæ, pro templo, & Ministris Dei antedecessum populi, sed illa potest fieri, & alitis festis, & maxime septimo die azymorum. Verum non inde vocatur hoc festum cætus, vel collectæ, neque hic fuit præcipuus festi hujus finis.

* DE TABERNACULO VETERI,

EJUSQUE FABRICA, TEGUMENTIS, TABULIS, atrio, veltibus, velo, vasis.

Ex cap. 26. Lib. Exodi.

Quoad Tabernaculum vetus, plura consideranda divina literæ proponunt. Nos brevem illius Synopsin ex lucubrationibus Cornelli à Lapide in præfatum Exodi locum trademus. Tabernaculum itaque longum erat triginta cubitis: latum decem, altum decem: divisum erat in duas partes, scilicet in Sanctum sanctorum, quod reliquos decem cubitos longitudinis tabernaculi continebat: erat ergo Sanctum quadrangulum, quia erat longum viginti, latum decem cubitos: Sanctum sanctorum verò erat quadratum, quia latum erat decem cubitos, & longum erat totidem. Sanctum dividebatur per velum à Sancto Sanctorum.

Secundo, hoc Tabernaculum factum erat ex viginti tabulis lignorum Scim inauratis, in longum porrectis ad meridiem, & totidem ad Septentrionem; ad occidentem verò, quæ erat pars latitudinis tabernaculi, connectens utramque partem longitudinis: scilicet meridionalem, & septentrionalem, octo habebat tabulas; ad orientem verò patebat, tantumque habebat tabulas; ad orientem verò patebat 5. columnas ex lignis Scim inauratis, quæ velo tegebantur. p. 37. hac

hæc enim parte erat ingressus ad tabernaculum elevato velo. Singule verò tabule habebant duas bases argenteas: porrò per tabulas hæc à quolibet ejus trorsum laterum, quinque immittebantur veltibus, qui tabulas continerent.

Tertio, Tabernaculum hoc tam superne, quam ad latera, tegebatur, primò, decem cortinis factis ex cocco, purpura, hyacintho, ac bysso, quarum quæque habebat 28. cubitos longitudinis, & 4. latitudinis. Unde hæc cortinae vocantur hic tentoria, quia erant in modum tentorii tenæ, & expansæ.

Secundo, tegebatur undecim sagis, sive stragulis siliicinis; quorum quodque longum erat 30. cubitis, latum 4. cubitis.

Tertio, tegebatur pellibus arietum rubricatis.

Quarto, pellibus Janthinis contra pluvias, & procellas: Unde hæc pelles vocantur hic testum, id est, operculum rectoris Tabernaculi, de quibus versu 14. Hinc sequitur Tabernaculum undequaque tectum, & velatum fuisse, nec habuit fenestram, sed lumen anterius per ostium admisit.

Quinto, ante Tabernaculum erat atrium longum quinquaginta cubitis, & totidem latum, quod pariter suis tabulis, & cortinis cingebatur ad latera, superne verò patebat, eratque sub dio.

Quinto, atrium hoc erat quasi templum Laicorum; Laici enim nunquam ad Tabernaculum accedere, nec illud ingredi poterant. Rursum atrium hoc erat divisum in exterius Laicorum, & interius Sacerdotum, in quo erat tum Labrum aneum, tum altare holocaustorum, illud enim debebat esse in atrio sub dio, propter ignem, fumum, & evaporationem, ac nidorem visitarum, quæ in hoc altari cremabantur. Porrò atrium hoc Sacerdotum ex quo septem, vel muro, trium cubitorum altitudinis, distinguebatur ab atrio Laicorum, ita ut Laici ex suo atrio prospicere possent ultra murum in atrium Sacerdotum, ibique videre holocausta, & victimas, quæ offerrebantur in altari holocaustorum.

Sexto, in parte priorè tabernaculi, putà in Sancto, erat altare thymiamatis obversum Sancto Sanctorum, & propitiatorio; ita ut eo, per hitum in pariete, sive in velo dividente relictum, ascenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebatur in hoc altari; ad latus dextrum hujus altaris erat candelabrum, ad sinistrum mensa panum propositionis. In Sancto Sanctorum verò erat arca, habens intra se tabulas legis, supra se propitiatorium, quod velabant duo Cherubini. Rursum in Sancto Sanctorum erat urna cum manna, & virga Aaron, quæ frondebat. In atrio autem erat altare holocaustorum, & labrum aneum, ut ex eo lavarentur tum Sacerdotes, tum vitima.

Septimo, Sanctum Sanctorum, id est, sanctissima pars Tabernaculi, erat quasi chorus, in quem solus Pontifex ingredi poterat, idque semel in anno tantum, puta in festo expiationis. Levit. 17. in Sanctum verò quodvis ingrediebantur Sacerdotes manè, & vespere, ut adolere thymiamata, & ut vespere accenderent lucernas, manè eadem extinguerent. Atrium verò erat locus populi.

Simili ratione in tres partes distribuit postea templum sumum Salomon; nam prima pars respondens huic atrio erat sub dio, dicebaturque Olam, id est, Porticus Salomonis; eratque locus, & templum plebis: Secunda pars proprie dicebatur templum, Hebraicè הכבאל bechal, respondens Sancto, in quo erat altare thymiamatis, cum mensa, & candelabro: tertia pars omnium intima erat דבר דביר, id est, oraculum, seu Sanctum Sanctorum. Totius Tabernaculi descriptionem vide apud Joseph. lib. 3. c. 5. & Abulens. in Exod. cap. 27. & Ribera lib. 1. de templo, cap. ultimum. Porrò universam fabricam Tabernaculi, & vasorum illius Moyses absolvit septem mensium spatio, ut constat cap. 40. Exodi.

TROPOLOGIÆ TABERNACULI. AC I. ECCLESIAE.

Tabernaculum hoc cum suo atrio significabat Ecclesiam, & fideles Christi. 1. Timoth. 3. 15. qui per velum fidei Deum in terris contemplantur: In hoc atrio, id est, Christus Dominus est summus Pontifex; idque primo atrium significabat incipientium rudimenta; & communem Christianorum vitam: unde in eo erat altare holocaustorum, quod victimam cætionem, & mortificationem in Dei obsequium significabat; item labrum, sive lavacrum aneum, id est, penitentia Sacramentum, quo communes Christiani maxime indigent.

Secundo, Sanctum significabat Christianos perfectiores; unde in eo erat altare thymiamatis significans jugem orationem, laudem; & contemtionem Dei: & candelabrum significans Doctores, qui sua sancta vita, & doctrina Ecclesie præfulgent; & mensa panum propositionis, significans eos, qui dediti sunt operibus misericordiae. Rursum alii per Sanctum intelligunt statum perfectionis, & vitam religiosam; & triaque religionis vota, scilicet per altare obedientiam, per mensam paupertatem, per candelabrum castitatem.

Tertio, Sanctum sanctorum significat cælum: sive Ecclesiam triumphantem: unde in eo erat arca Testamenti; id est, cæcus beatorum; & propitiatorium aureum id est, humanitas Christi gloriosa; denique Cherubim, id est, Angeli sancti, quibus Deus gloriosus eminet, insidet, & præsidet, atque beati omnibus tam Angelis, quam hominibus in cælo clarè videntium se exhibet, itaque cosbeat.

Rursum in Sancto sanctorum est urna cum manna: quia in cælo est abundantia divina suavitatis, fœticitatis, & constantiæ. Denique ibi est virga Aaron, quæ sicca revixit, & protulit frondes, flores & fructus; quia in resurrectione, & gloria cælesti corpus resurget, gloriaque cum animo donabitur; atque profertur quatuor dotes, scilicet agilitatem, subtilitatem, claritatem, impassibilitatem, ita Beda in cap. 25. Exodi, & alii.

Hæc omnia proportionaliter accommodari possunt cuilibet animæ Christianæ, & sanctæ, quæ per penitentiam, charitatem, aliasque virtutes fit, & est tabernaculum, & templum Dei. 1. Corinth. 3. 16. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis: Simile est Ephef. 3. versu 17. Rom. 8. 9. vide Orig. hom. 9.

Huc spectat illud Philonis libro de Cherubim: Etiam, inquit, tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxque per opificum auctos in porticus, vestibula, aulas, areas, ædificaque sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei possit fieri: dignum tamen eo domicilium anima est, modò sit idonea.

Hoc ergo animæ tabernaculum in introitu habet lavacrum penitentia, & altare mortificationis. In sancto tria habet via pretiosa, candelabrum, mensam, altare thymiamatis. Præter enim sunt in appetitu nostro; quasi indigent vasis, mala, tenebræ ignorantia, efuries, & inopia cibi salutatis, pestiferi halitus fordida cogitationis, & cupiditatis. Candelabrum, id est, sapientia hæc tenebras dispellit: mensa panum, putà mensa Eucharistia, & inflexus Dei hæc esuriam fatiat: altare thymiamatis, putà pia cogitatio, & oratio, hos pestiferos halitus absumit: itaque ex sancto, id est Ecclesia, imus in Sanctum sanctorum, id est, in cælum.

III. TEMPLORUM CHRISTIANORUM.

Atque hæc de causa, scilicet ob tropologiam paulò antè datam Ecclesie Christianorum ita olim ædificabantur, ut maximam haberent similitudinem cum Tabernaculo Moysis, & templo Salomonis: continebant enim porticum, atrium, sancta, & demum Sancta sanctorum in porticu erant: ceteri ex Ecclesia, & infideles: in atrio erant penitentes; in Sancto populus; in Sancto sanctorum Sacerdotes, ibique offerbant Deo sacrificia.

Rursum, uti in templo Salomonis, ita & in Ecclesiis olim erat separatus locus mulierum à loco virorum, illique præerat Diaconissa.

Denique scit labrum erat in tabernaculo, & templo; ita & in Ecclesiis pro foribus erat lavacrum, quo omnis populus ingressurus templum manus ablueret. Ita Baronius tom. 1. Anno Christi 57. pag. 533. & 540.

ALLEGORIA TABERNACULI.

Potest etiam Tabernaculum hoc Allegoricè significare corpus Christi: Christus enim, & Ecclesia velur unum sunt; quia Christus est quasi caput, & anima Ecclesie, ita Nyssenus, & Hugo, & colligitur Joan. 2. 19. & 21. Id autem pulchrè profequitur Cyrillus lib. 4. in Joan. 28. ubi tum tabernaculum, tum omnia, quæ erant in tabernaculo, Christo adaptat. Licet enim unus sit Christus, multariam tamen operatur, & concipitur. Christus, inquit, est tabernaculum propter carnis tegumentum: Christus est Arca, habens legem Dei reconditam: prout est verbum Patris. Christus est mensa, quia nobis est cibus, & vita in Eucharistia: Christus

cere quenquam, cum sibi loqui nihil proficit: sapiens est ergo, A qui novit tacere. *Amb. l. 1. de offic.*
 Et loqui, & tacere, perfectio est. Est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitia attribuitur, sicut verborum nimietas ad furorem loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis, & de qua re si nostra sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo judicetur infans, *Val. Episc. in quodam serm.*

Pythagoras discipulis advenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrina, & sic incipientem quemque inter disputantium contempnentium cathedras mutum sustinuisse quinquennium, ut etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberet agnosci. Quia donec scientiam non combiberis, non major est gloria dixisse, quod noveris, quam siluisse, quod nescias, *Sidon. epist. lib. 7.*
 Pythagoras hanc in studii sui consuetudinem servasse legitur, ut usque ad septennium juxta numerum septem liberarum artium nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audivisset. Scholares verò nostri aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discendo servare, idcirco multos stultentes, paucos sapientes invenimus, *Hug. in didascalicon. l. 3.*

Nihil æquè proderit, quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, & plurimum secum. *Sen. 16. Epist.*
 In hoc incumbere, ut libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua utere. Quicquid dicturus es, antequam aliis, tibi dixeris. *Idem de Moribus.*

Jam olim in proverbio est nobilis illa Simonidis sententia, quæ celebratur, & apud Latinos proverbia loca.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
 Etiam Val. Max. l. 6. c. 2. sententiam hanc tribuit Xenocrati, quid, inquit, Xenocratis responsum quàm laudabile? Cùm male dico sermoni quorundam summo silentio interesset, uno ex eis quærentem, cur solus linguam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando poenituit, tacuisse nunquam. *Erasm. in Chib. cen. 5.*

Ovidii prudens censura erat lib. 2. de arte amandi. *Eximia est virtus, præstare silentia rebus, At contra gravis est culpa, tacenda loqui.*
 Ex Carcino de taciturnitate.

*Πολλοὶ γὰρ ἀδρότοι φησὶ μὲν κηκεῖν
 Σίγῃ, μάλα δ' ἐν σφραγίδι κρηκεῖν.
 Multis enim hominibus pharmacum malorum est
 Taciturnitas, quæ peculiaris est frugis moribus,
 Sophocles.
 Ὁ πῶν σιωπῆ, πολλὴ ἔστι σιωπῆ κηκεῖν.
 Ἐλάσσει μάλα τὰ κρηκεῖν κρηκεῖν.
 O puer tacere, multa continet bona silentium.
 Linguam imprimis ubique moderari coneris.
 Silentium, & continentia linguæ omni vacat periculo.
 Καὶ γὰρ οὐκ, ἔστι τὸ σιωπῆ κηκεῖν.
 Ἡ γὰρ σιωπῆ κηκεῖν κρηκεῖν κρηκεῖν.
 Tum seni, tum juveni, concubiat honorem
 Campos silentii lingua tempestivi.*

APHORISMATA ETHNICORUM.

D Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset, Tu quid taceres? atque jucundum est cum amicis confabulari. Jucundum quidem respondit Cleanthes: sed quo jucundius, eo magis in hoc amicis oportet concedere. *Stob. serm. de taciturn.*
 APOLLONIUS annitendum esse dicebat, & quidem sedulo, ut nihil indecens loquamur. Est enim, inquit, viri planè imperitii non posse tacere, & quæ non docet, effari. *Eod. ser.*
 DIOGENES ad quemdam, qui se philosophum profitebatur, interrogabat verò contentiosè, dixit: Vah miser! cur id, quod optimum est in vita philosophi corruppiss, & verbis audes te philosophum pætare? *Ibid.*
 ARISTOTELES quidam in vita difficillimum esse sciscitatus, respondit. Tacere, quæ dicenda non sunt. *Stobæus serm. de arcan.*
 Idem interrogatus, quamobrem cum aliis doceret loqui, ipse taceret? dixit, Nempe eos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Ant. in Max. de taciturn.*
 Theophrastus juvenem in convivio tacentem, animadver-

tens dixit: Si imperitus taces, peritus es: sin verò peritus, imperitè tace. *Eod. ser.*

DEMOCRITUS cum animadvertisset quendam multa imperitè disputantem: Hic inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnimò tacendi imperitus, *Ibid.*

PLUTARCHUS. Nemini inquit, dixeris, quod vis tacere. Quomodo enim ab alio postulabis silentii fidem, quam tunc tibi non præstitisti? Item, Tacere non solum situm prohibet, teste Hippocrate, sed tristitiam quoque, & dolorem. Item silentii neminem, sermonis plurimos poenituit. Item Taciturnitas ubique tutum ornamentum est juveni. *In Moralib.*

CHRISTIANORUM.

Diu confidera, quid loquendum, ait S. Hieronymus, & adhuc tacens, provide, ne quid poeniteat dixisse. Venerat ad Pastorem Abbatem quidam de rebus spiritualibus consulturus: & primo adventu se veritum dicebat, ne ob solenne jejunium, sibi negaretur aditus ille verò, Nos, inquit, non didicimus janam ligneam claudere, sed magis linguæ janam clausam habere. *In vitis PP. cap. de Hospitalitat. Beserlinck in Apoph. Christ.*

S. Basilii frequentissima illa vox: Dicenda, tacenda que novisse non oportet: non enim divina linguæ verbis explicanda sunt: & rationem subicimus. Ne, æstus, mens, fuit oculus totum solem intueri volens, id etiam, quod habet luminis, perdat. *Anton. in Max. serm. de Taciturn.*

Agathonem Abbatem etiam lapillo assidue ori indico, tacere didicisse ferunt: idque tanto rigore ab eo observatum, ut, cum sati vellet, non posset. Rogatus autem cur tantum sileret? Quia, inquit, qui custodit os suum, custodit animam suam: & ita verè existimabat primam virtutem esse, compescere linguam: quodque loqui ignorabit, qui tacere nesciat. *Ex Ravil. de Temperantia Politeranis lib. 21. Antrop. Beserlinck supra.*

Æquè infidelis fuit oris custos Religiosus. Quidam, à quo cum Adolefcentis quispian secularis cilicium peteret, tale responsum accepit: Verè, fili mi, opimum cilicium est bonam habere cutam, quid per hoc ostium egrediarur. Hinc non ineptè. *And. Aciarius in Embiem.*

*Quam tacet, haud quidquam differt sapientibus amens,
 Stultitiae est index linguæque, voxque suæ.
 Ergo premat labia, digitoque silentia figens,
 Et sese Pharian verat in Harpocratem.*
Ex Guil. Galdesun. in sim. Virinum. Idem ibid.

GNOMÆ SANCTORUM

EX SCRIPTURA.

Quis autem ipsa taciturnitatem peritulum esse ambigit, si præter jam dicta sapientissimorum hominum judicet, & exempla etiam Apostolicis, prophetisque præceptis ad eam colendam excitamur? Jacobus Apostolus, cap. 1. Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Et paulo post: Si quis autem putat se religiosum, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, jusus vana est religio. Paulus ad Timoth. 2. Tim. 2. Prophana, & vaniloquia devita. Salomon in Proverbiis. Pr. 17. Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est, Et idem Eccles. 3. Tempus tacendi, tempus loquendi. Eteritur in Proverb. 3. 15. Lingua placabilis lignum vite: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Sermo opportunus est optimus. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Idem proacacitatem garrulorum damnans. Os lubricum, inquit, *Ibid. 13.* operatur ruinas. Et vidisti hominem velocem ad loquendum: stulticia magis speranda est, quam illius correctio. In Ecclesiaste quoque Eccles. 10. Stultus verba multiplicat. Etrursum in Proverbiis 18. Mors, & vita in manibus linguæ. Postremo ipse veritatis magister, & vite Dominus in Evangelio Matt. 12. ait: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Ideo divitem quoque in inferno positum, quoniam loquacitatis perulantia maxime deliquerat, linguæ ardorem sentire magis fecit, & ille linguam tantum refrigerari petiit, qui ardebat totus.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Job à Domino arguitur, quod contendere, ac disputare fecum concepiverit, dum calamitatum suarum causam anxie perquireret. Et respondens ait: Qui leviter locutus sum, respondere, quid possum? Confitetur se non habere, quo excuset inconsultam locutionem, & ut poenitentem veniam consequatur. Manum meam, inquit, ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum, quibus ultra non addam. Hinc tu, si quando res incidit, in qua divi-

ne providentia rationem invenire nequiveris, cave, ne quid imprudenter proferas, sed tacitus mire, & nihil à Deo nisi bonum, æquumque proficisci posse, semper tibi habe persuasum.

EZECHIAS quartodecimo regni sui anno obfessus in Jerusalem, plebem silere iussit: ne colloquii Rabfacis nunciantis, nunc blandientis, ad dedicationem sollicitarentur, Exemplo est, ne quid is, qui de plebe imperitorum est, respondere præsumat captivis Hæreticorum argumentis, ne dum confutare ea nesciat, etiam ipse in retinaculo diaboli involvatur, & arce veritatis incaute custodita, ab eroribus captus pereat. Tacitus ergo obediat Ezechie, id est, Christo regi, & in silentio oret, & ipse mittet Angelum suum, qui perimat copias Assyriorum, hoc est diffuset malignorum infidias, mentemque orantis illuminet, ut amota dubietatis nebula, jam clarè videre possit, eos verè mortuos esse, qui ipsium nitentur in mortem trahere fecerunt. *4. Reg. 18.*

Jesus filius Syrach, dum efficere nequit, ne inter loquendum peccato aliquo non implicetur, sic in Ecclesiastico suo conseruit, & clamat: Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me? Hoc ipsum periculum, quod in se deprehenderat, alios cavere jubet dicens: Aurum tuum & argentum tuum conflat, & verbis tuis facito flateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum infidiantium tibi, & sit casus tuus infanabilis in mortem.

JEREMIAS in matris utero sanctificatus se audit, & tamen aica, a. a. Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum: Quomodo ergo illi lingua non delinquant, qui irrequiriti garriunt: si peccare loquendo timuit, quom loqui Deus invitabit? Qui tunc demum ad prophetandum populo se accinxit, dicit Dominus non jam invitaret, sed imperaret, dicens: Noli timere quia puer sum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & universa, quæcunque mandavero tibi, loqueris. Ad hæc ne quid dubitaret, mittit manum suam, tangit os ejus. Et ecce dedit, inquit, verba mea in ore tuo. Toties quippe lapsus timendus est, quibus nostra, non Domini, verba prolaturus sumus, cum etiam de otiosis, hoc est, quæ neque dicenti, neque audienti profuit, reddenda ratio sit. *Jerem. c. 1.*

At ne quis propterea semper tacere operæ precium sibi existimet, Iliam lamentantem audit: Væ mihi, inquit, quia tacui. Reprehensibilem se agnoscit Propheta, quod Oziam regem, populumque in vita præcipitem, verbis non corripuerit, juxta illud: Ne reverentis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. *Iliam cap. 6.*

Postquam locutus est Dominus ad Moysen, impeditioris, & tardioris linguæ fuit. Ex quo dicitur, spirituales viros, qui cum Deo læpè loquuntur, tardos debere esse ad loquendum. *Exod. 34.*

TOBIAS au litus verbi injuriolis ab uxore, non legitur ei respondisse, sed in gemibus, & occipite plorare cum lachrymis. *Cub. 2. 3.*

Cum ancilla Saræ dixisset Domina suæ gravis improperii, & maledictionis verbum, Saræ tacens cecidit liti, & pergens in cubiculum domus sue devotè cepit orare. *Tob. 3.*

Virgo Deipara tantum ter legitur locuta, in Evangeliiis. Maria Magdalena sedens ad pedes Domini, forori Marthæ apud ipsum de ea concenterit nihil respondit. *Luc. 10.*

Mulier in adultério deprehensa coram Domino accusata, non legitur aliquid locuta: Dominus autem pro ea verbum assumpsit, & eam misericorditer absolvit. *Mat. 26. Marc. 14. Jo. 8.*

HISTORICA.

D SEVERUS presbyter cogmento Sulpitius Aquitanicæ Provincia, vir genere, & literis nobilis, & paupertatis amore conspicuus, charus etiam sanctorum Episcoporum Martini Turo-nensis, & Paulini Nolani: hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo poenitens emendaret. *Ado in Chron. etatis 6. anno Christi 410. Gemad. de viris illust. c. 19.*

GREGORIUS Nazianzenus toto aliquando quadragesimæ tempore silentium sibi indixit, in solitudinem digressus. Cujus facti mei, inquit, si causam quaeris, idcirco à sermone pror-sum abstinui, ut sermonibus meis moderari discam. Etenim ut res similitudine illustrior fiat, is, qui in ingentem hominum numerum suribundam hastam vibrari, idem haud dubie paucos quoque facile profiggabit; & qui ex longo intervallo fa-

gitas mittens, scopum tamen atigerit, ille utique propius collimans à scopo haud quam aberrabit: ac denique is, qui E amplissima maria navitranstulerit, idem quoque vicina littora legere minime dubitabit. *In vita ipsius.*

PAULUS Monachus cognomento Simplex, cum quaesisset, essetne Christus prior Prophetis? insullam interrogatum eam silentio diluere iussus, per triennium nemini quicquam proloqui est ausus. Itaque quæ dictu digna, indignaque haberentur, tacendo didicit. *In vita PP.*

Pambo Abbas, cum etiam ipse discere priusquam loqui proposuisset, illum trigessimum octavum Psalmum sibi legere cœperat: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Sat est inquit: Reliqua audiam, cum istud opere implevero. Multo deinde tempore post reversus, cum interrogaretur, cur tantum ad magistrum redire distulisset? nondum se illud quod didicerat, perfectisse dicit, & Apostolicum esse præceptum, Estote factores verbi, & non auditores tantum. *Hist. Tripart. lib. 8. cap. 1.*

Idem Theophilo Episcopo se aliquando adevnti, & aliquo sermone ab ipso spiritaliter refecti perenti, respondit: Si taciturnitate sua non refectebatur, nec sermonibus eum refecti posse. Hinc quidem die vite suæ supremo audacter affirmavit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se unquam protulisse verbum, quod prolatum nollet. Perfectus ergo, quod initio promiserat: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Quam igitur latus, quam securus hinc decedebat, quem nullus propè culpæ conscium taciturnitas ipsa fecerat?

Beonem quoque Abbatem in Thebaidis deserto habitantem, in summo silentio vixisse accepimus, ita ut perquam raro loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere videbatur necessitas, taciturnitatem servans, & simul officio fungens charitatis. *Pallad. Hist. 49.*

Theonem etiam in cellula sua clausum annos triginta, silentii habuisse continentiam perhibent, & quantum ea re profecisset, miraculis postea ostendisse, neminem non sanum dimittendo, qui æger ad se curacionis gratia accessisset. *Ibid. Historia 50.*

Libet hoc loco apponere, quanta diligentia, qualique circumspectione hoc idem ab Agyptiis Monachis olim servatum, Joannes Cassianus de Cœnobiorum institutis tractans, dicat. Cùm solemnitates, inquit (quas illi Synaxis vocant) celebrari conveniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam numerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui confurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adeste credatur, ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non spiritum emittitur, non excreatio obstruit, non tussis interfonat: non oscitatio somnolenta distutis malis & hiantibus trahitur; nulli gemitus, nulla suspiria etiam altantes impediuntur pronuntur, nulla vox abque sacerdotis voce preceem concludentis auditur, nisi forte hæc, quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet, atque intolerabili spiritus fervore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non prævalcat continere, per ineffabilem quandam gemitum ex intimitis pedoris sui conclavibus evaporare conatur. *Cassianus de Institutione lib. 2. c. 10.*

Post hæc qualiter se gerant, describit dicens: Finitis itaque Psalmis, & quotidiana congregatione (sicut superius commemoravimus) absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut fermocinari audet cum altero, sed ne quidem per totum diei spatium à cella sua progredi, aut desistere opus, quod in ea solitus est exercere, præsumit: nisi forte eum fuerint ad officium necessarii cuiusque operis evocati, quod ita explent foras egressi, ut nulla inter eos fermocinatio poenitis conferatur. Sed sic unaquisque opus exequitur injunctum, ut in Psalmum, vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solum conspirationi noxiæ, vel consilii pravis, sed ne otiosis quidem colloquiis, ullam copiam, vel tempus impartiat, oris pariter, & cordis officio in meditatione spirititali jugiter occupato. Summa namque observantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipue juniores, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut usquam recessisse, vel manus suas injicem tenuisse deprehendantur. Hinc dicant, qui soli Deo placere student, vel tacere, vel ea tantum quæ Dei sunt loqui, ut cum Propheta dicere possint: Quod egressus est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. *Ibid. cap. 15.*

Beatus Hieronymus libro, què de institutione sanctorum Vir- ginum ad Eustochium scripsit, plerisque se in eremo reperisse testatur. qui per septennium nullum profer verbum homini alteri emiserant, scientes, quod non in multiloquio Domini potest haberi. Puto, qui sic ab humanis colloquiis sequestraverunt, divinis familiariter perfuebantur, non in- terpellata meditatione illa, quæ hominis animum terrena- rum cura excussum cœlestibus inferere solet. Hier. in Reg. Monach. c. 22.

ROMUALDUS etiam Abbas Ordinis Camaldulensis au- thor, dum montem solitarii incoleret, septenni silentio spiritalium Psalmorum intelligentiam meruit percipere. Quos cum arguere, elegantius exponeret, dicere videba- tur. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. Post hæc etiam miraculis nobilita- tus est, ut qui propter Deum tandiu tacerat, propter eum signa loquerentur. Surius.

Thomam Aquinatem, dum inter scholasticos versaretur, naturaque taciturnus esset, & corporis habitu reliquis pau- lo obefiore, bovem murum appellabat. Magister verò ubi in genium illius disputantibus experiri cœpisset, de- prehensens quorum ejus tenderent silentia: Bos iste mutus, inquit, talem mœder mugitur, ut sonum ejus totus ad- miratus sit mundus. Et cum omnium doctissimus evasisset, tunc sanè apparuit, quantum docilis taciturnitas vanæ, & arroganti loquacitati esset præferenda. Antonius Pyram. Su- riius tom. 2.

Cæterum & hac in parte diaboli insidie vitandæ sunt. Cuidam ex fratribus perpetuum silentium servanti; Pater Franciscus, ut semel tantum in hebdomada confessionem faceret, persuadere non potuit, & ille sibi de se magis, quam Pre- positus suo credens, exivit à Sanctorum collegio, & ad vomitum ejus reversus. Primum irrationabile erat, tam obnixo, ob- stinatioque animo tacere, ut confiteri nollet, quasi qui nihil unquam deliquisset: deinde arrogans, ac superbus; majorum voluntati suam præponere, cum Dominus dicat: Obedien- tiam volo, & non sacrificium. Et qui vult venire post me, ab- neget semetipsum.

B. Gregorius Episcopus Turonensis in vita S. Nicetii Presbyteri, postea Episcopi Lugdunensis, narrat, cum nulla verba nisi sancta, & pia elocutum, ociosa, vel jocosa nunquam: contum- eliosa vero in alios, vel in se conjecta negabat esse audienda, eò quod ex animi perturbatione prolata esset. Gregorius Tu- ronensis de vita S. Patrum.

Hoc Abbas per totam ferè ætatem (erat autem Nonage- narius) unica taciturnitatis munere dotatus fuit: tria enim ab ea commemorat in sua historia Heraclides: quod videlicet nunquam sit mentitus; nunquam alicui maledixerit; nun- quam citrà necessitatem loquutus sit. Er. Amos Abbas mille quingentis monachis præfuisse dicitur: cum verò tot essent, horis quibus silentium indicitur erat, sæpenumerò advena- locum advenas peminem ibi adesse putaverunt, donec inter- rius ingressi, illos vel orantes, vel aliud in cellulis suis agen- tes cernerent. Sancti periculum otis notant, hinc tantam sem- per silentii freno curam ejus habebant. Ideoque rectè Apo- stolus. Si quis, inquit, putat se religiosum esse, non resrenans linguam suam, hujus vana est religio. Ex Pallad. in bist. Lau- siaca Petr. de Natal. lib. 19. c. 54. l. 4. c. 7.

Eadem hæc sanctæ taciturnitatis, moderandæque lingua- exempla, atque præcepta, etiam sceminas respiciunt, & qui- dem magis quam viros. Paulus Apostolus: Mulieres, inquit, in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed sub- ditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, do- mi viros suos interrogent. Turpe est enim, mulieri loqui in Ecclesiis.

Divus etiam Hieronymus ad Celantium scribens: Sit inten- tus, ait, ac vigilans, & adversus peccata semper armatus ani- mus tuus, sermo in omnibus moderatus, & parvus, & qui ne- cessitatem magis loquendi indicet, quam voluntatem. Hieron. ad Perantiam.

Idem eas, quæ in Monasterio sacris initiatæ sunt, instruens, etiam silentia tempora observare monet, sic dicens: Volo charissimè, ut in conventu vestro ter, aut pluries in hebdoma- da, exceptis Festivitatibus, loqui omnino, nisi urgente causa peruli, & necessaria, nullatenus liceat, nec simul, nec cum aliis extrà. Diebus vero omnibus, quibus & pro re- medio, & pro salute loqui conceditur, non singulis horis vacandum est verbis, quæ vix profert sine peccato possunt, sed hæc in violabilis observatio viget, quod singulis noctibus post præctam horam Completorii usque post Missam, & à

Tertiis usque ad Nonam, sacra observentur silentia, Quate- nus & lingue Deum laudandi concedatur opportunitas, & inu- tilla verba penitus abfincantur. In Choro verò Ecclesiæ ad divinas laudes parato, Dormitorio, Cœnaculo, Claustris, ac Capitulo omni tempore loqui non debeat, nisi ea, quæ ordi- nata sunt in laudibus Dei, ut jam tempus, & locus religionis vestræ prædicent sanctitatem, & loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem vestra sancta desideria in- citent, & affectus ad cœlestia moveantur. Satis de hoc multa: Nunc castitatis indagabimus exempla. Frustra enim os loqua- citari clauditur, si mens libidinis patet. Ut igitur castum silentium in casto servetur peiores, discamus incestas volupta- tes sanctæ pudicitiz amore calcare.

* HIEROGLYPHICUM.

Egyptii per numerum 1095. solent hieroglyphicè indica- re Taciturnitatem, rationem dat Pier. Valer. lib. 38. cap. ult. quod compertum sit eò dierum numero, qui annos tres complectitur, nisi puer effari cœperit, linguam ejus præpeditam esse, neque superesse ultra spem, ut loquatur.

* Tactus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

TACTUS Græcè ἀφή τανγο Latine derivatur. Et defini- tur à S. Thoma q. de veritate, 26. art. cap. 3. sensus eorum è quibus animal componitur, & per quæ corrumpitur. Estque omni animanti communis, inestque parti corporis familiari. Iner omnia autem animalia excellentissimum tactum habere putatur homo, propter nobilitatem, & proportionem for- mæ suæ, & aptissimum corporis temperiem: hinc etiam inge- nium plerique ex tactus præstantia metiuntur, teste S. Thoma in lib. 2. de Animal. 19. q. alii.

ORDO INTER ALIOS SENSUS.

Tactus inter omnes sensus origine, & necessitate primus est; quia peculiariter radicem habet in primis qualitatibus qua- rum temperies est primaria dispositio ad animam, primum- que vite fundamentum, qua dissoluta, & tactus ipse, & animal C perit. Et eò quidem sensus hic plurimum etiam confert ani- malibus; quia ejus opera possunt primarum qualitatum ni- micetatem cavere, quarum excessus intricum adfert; sed idem tactus dignitate ultimus est, ut ait Proclus Commento 3. in Ti- meum; quia maxime crassus est, & corporeus.

ORGANUM, ET MEDIUM TACTUS.

Ubinam tangendi instrumentum resideat, magna est inter Philosophos discrepantia. Themistius in sua paraphrasi c. 29. & 40. & Simplicius tex. 116. ponunt tactum in corde, adducti verbis Aristotelis in lib. de sensu, & sensibilibus c. 2. & lib. de sense- ãte c. 2. & de part. animal. l. 2. c. 10. ubi Philosophus videtur cor sedem tactus, & gustus facere.

Averroes in paraphrasi de sensu & 2. Colliget. cap. 8. & 18. & 2. de part. animal. cap. 1. & 8. asserit carnem sensorium ta- ctus esse.

Idem statuit Philoponus ad tex. 124. & Aphrodisiensis l. 2. de anima, c. de cont. ad u. quæ ob id Themist. loco citato reprehendit. Galenus l. 1. de usu partium. c. 15. & 28. lib. 5. c. 9. & 12. c. 2. & lib. 2. de temperamentis. Averroes com. 18. Fernellius c. 12. c. 2. de anima facult. c. 6. Vesalius l. 6. c. 27. M. Albert. l. de anima tract. 3. c. 31. & 34. Conciliator. Dissert. 42. Thovianus lib. 2. Techni- cam. 15. & lib. 3. com. 52. Divus Thomas in lib. 2. de anima, lect. 32. & 33. & 208. dub. 2. Scotus q. 2. secundum q. 2. ajunt organum tactus esse nervum.

Utrique autem harum duarum opinionum ad stipulari visus est Aristoteles tum lib. 2. de bist. animal. c. 4. & lib. 2. de part. animal. c. 1. & 5. ubi tangendi vim in carne sitam esse docuit; tum lib. 2. de anima cap. 10. text. 109. ubi carnem medium, & organum verò nervum constituit. Quæ loca tenent Aver- roes, & tunc in hanc posteriover sententiam inclinans, cen- sedit, Aristotelem, cum libros de Animalibus scriberet, non- dum compertum habuisse latere sub caruncula nervos, quod cum postea cognovisset, in his libris, quos postea edidit, sen- tentiam mutavit.

Cæterum organum tactus non est in solo corde, nec in uno aliquo membro corporis duntaxat. Hæc assertio com- munis

munis est Philosophorum, probaturque ex eò, quod non solo corde, nec uno aliquo tantum membro tangamus, teste experi- entia.

Neque etiam organum tactus est sola caro, neque solus nervus. Quod tunc Simon Porcius lib. de dolore c. 10. Theo- philus lib. 2. de anima d. text. 110. & 112. D. Greg. Nissen. lib. 4. Philop. c. 4. Probaturque ex eò, quia constat non solum car- nem, sed etiam nervum sentire, cum ladicur; sive hæc human- tum conjuncta, ut caro nervosa, sive separata, ut nervus carne exutus, & caro, qualis est in recessu cordis, & jeecore.

Adverte tamen nomen carnis non accipi à nobis hoc loco præse; sed ita, ut ejus nomine etiam cutis, & membrana, alia- que ejusmodi intelligi velimus. Itaque arbitramur in qualibet parte corporis, quantumlibet exigua, tactum inesse; & quanvis ossa, & quædam aliæ partes ob terrestrem concretionem, & aliæve ejusmodi ad sentiendum ineptitudinem, tangendi vicarent.

TACTUS PHYSICE CONSIDERATUS UNUS SPECIE, NON PLURES.

Plures species Tactus nonnulli faciunt, atque in plures, eas- que varias sententias abeunt. Quidam tot numerant tactus, quot contrarietates sunt, ut Themistius, & Avicenna, non tamen hi, quot contrarietates sunt, explicant. Videtur autem Avicen- na unum sensum, ad quem dolor ex vulnere; alium, ad quem titillatio spectat, constituit.

Alii duos tantum ponunt, ut Ægidius: unum calidi, & frigi- di; alterum sicci, & humidii.

Commentator 1. Colliget. c. 13. ponit tactum titillationis, præterea tactum stomachi, qui quidem est fames, & sitis. Et Recentioribus verò Cardanus libro de subtilitate quatuor tactus distinguit, unum primarium quatuor qualitatium; alte- rum gravis, & levis; tertium voluptatis, & doloris, quartum ti- llationis.

CAJETANUS autem, essi magis inclinet in partem, quæ plures tactus facit, arbitrat, nihil certi in hac re affirmari posse, quod potentia ex actibus, actus verò ex objectis distin- guantur, formalis verò ratio talium objectorum explorata non est, quia certa est formalis ratio, in qua due primæ con- trarietates calidi, & humidii, & sicci, & frigidi conveniunt. Quare cum de ipso distinctionis principio non constet, perperam quidem ea de re definiti.

Verum his non obstantibus, verior est sententia illorum, qui unum specie tactum constitunt, quam etiam Fernellius lib. 5. sue Physiol. c. 7. amplexus est, camque probabilem indicat D. Th. 1. p. q. 78. art. 3. Sensus namque unius specie dicitur ab obje- cto, si nempe objectum unam habeat speciem rationem for- malem, hanc verò obtinet, si rationem immutandi organi specie unam vindicat; atqui ita se habet objectum tactus. Tac- tus igitur unus est secundum speciem; qualitates enim tangibi- les, quæ tactus objectum sunt, habent modum unum organi immutandi, non solum quia non exigunt medium remo- tum, per quod species traiciant: id enim & gustui commune est: sed quatenus in eo conveniunt, quod immutant com- plexionem primarum qualitatum, quibus animal constat. Un- de tactus sensus temperamenti dicitur.

Hinc collige objectum tactus, licet materialiter spectatum non unum sit, sed multiplex, & non unam tantum, sed plures contrarietates in se cohibeat; formaliter tamen, sive prout D tactus est, unum esse, petita unitate ab eo immutandi organi modo, quem explicuimus. Unde cum potentiarum distinctio ab objectis secundum rationem formalem consideratis sum- menda fit, patet, tangendi facultatem unam, non plures esse.

* TACTUS MORALITER CONSIDERATUS.

Quatenus importat probitatem, vel improbitatem, & Licitus sive Pudicus, vel Impudicus appellatur.

Contactus partium corporis humani, sive proptii, sive al- terius: idque five fuerit exus ejusdem, sive diversii, nonnun- quam totum non multo post orationibus suis ad pristinum statu- rediit. Veruntamen ex ea infirmitate, quoad vixit, semper uno pede claudicavit, quatenus memor eorum, quæ fu- sinuerat, amplius non peccaret: nam cum esset vir tam generis nobilitate clarus, quam ingenii acrimonia sublimis, animique constantia, sapientia, scientia, & eloquentiæ singulari præro- gativa insignis, & magnæ quoque in seculo reputationis, pia Domini castigatione flagellatus est, ne forte omnibus succedentibus

actus turpes non accedat, semper mortalem culpam inferre, est sententia D. Thomæ, Cajetani, Navarri in Enchirid. & Re- centiorum, & favet Cyprian. Epist. 62. ad Pompon. & B. Basi- lius lib. de vera virginitate, ita scribit. Factum verò, ut omnium sensuum perniciosissimum, & sevisimè blandientem, sensuque reliquos in suas pellicentem illecebras, immaculatum quam maxima poterit cura servabit, atque in sequentibus docet, aspectum ipsum non nisi per tactum ad voluptatem allicere. Refertur ibi possunt, quæ alibi de Oculis, & Pollutione, ac Mulierum conversatione fugienda dicta sunt.

TACTUS CUSTODIA.

Quanta circumspicione adhibenda.

Narrat B. Gregorius Turonensis Episcopus de vita Sancto- rum Patrum cap. 8. apud Sur. in April. sanctum sacerdotem Nicetium, qui post fuit Lugdunensis Episcopus, tanta puritatis cultorem extitisse, ut non modò aliis jugiter prædicaret, & à polluto tactu, & à verbis obscenis esse detestandum, sed & ipsemet formidaret etiam infantium membra nudis manibus contingere: & si quando ratione officii tangere debebat, non- nisi veste interjecta attingebat. Sciebat nimirum à quovis car- nis tactu aliquantam capi voluptatem, licet non admodum illicitem; & tanto longius abesse à tactu culpabili.

Cum Quidam familiaris B. Mariz d'Oegnes amicus ex- nimio spiritualis affectionis excessu manum ejus aliquando stringeret, licet casto animo nihil turpe cogitaret; semit tam- en ex illa nimia vicinitate primos motus insurgere. Cumque illa proflus hoc ignoraret, audivit vocem ab excelso, scilicet, Noli me tangere; nec tamen illa intellexit, quid signifi- ficaret: Deus enim mitis, & nostris infirmitatibus compati- ens, noluit illum coram sancta muliere verecundia confun- dere: volebat tamen tanquam zelotes amicæ suæ castitatem custodire, & illam propter innumera pericula castigare. Unde cum illa diceret ei: Audivi nunc quandam vocem, sed quid significaret, proflus ignoro, Noli me tangere. Ille quid hoc esset intelligens, & sibi de cætero diligentius cavens, & Domino, qui ejus infirmitatem detegere noluit, gratias agens, recessit. Jacobus de Vitriaco l. 2. de vita ejus, 16. Chron. S. Anton. 3. p. tit. 19. c. 1. & 7.

GEHARDUS Abbas ex Canonico monachus Hirsaugiensis factus, cum sanus, & incolumis aliquando inter fratres lau- dabiliter conversatus fuisset, ut patientia ejus coram omnibus probaretur, in gravissimum languorem incidit, ita ut mem-bris omnibus penè resolutis manum ad os non valeret porri- gere, nec de uno late, e in aliud sine aliorum adjuutorio se mo- vere. Hac infirmitate plus integro anno miserabiliter, sed cum multa patientia, ægrotavit, quousque miseriticos Deus vires ei restituit manducandi, sedendi, legendi, & in scamniolis super terram instar puerorum repandipræter enim linguam hædens nullum membrorum suorum movere potuit. Quadam verò die, vir Domini Villhelmus Abbas cellam ægrotantis in- greditur, & ut usum vel dextræ manus à Domino precibus devotis peteret, Gebhardum jacentem exhortatur. Remit ille cum summa detestatione, confirmans se corporis salutem omni- ninò parvipendere, ut bene decocta scotea purgatus posset ad Deum pervenire. Pius autem pater misericordia morus dex- tram illius apprehendens benedixit, orat. de osculatumque eum, & pristinæ sanitatis cernentibus cunctis subito restituit. Post paucos verò dies uxor fratris ipsius Gebhardi ad eum gratia visitationis cum familia multa advenit, ad quam in sella portata gestatoria, cum inter loquendum brachii sui miraculosam sanitatem proferret in medium; illa dexteram ipsam sanatam, H muliebri quasi sanctificatum quippiam deosculatur affectu. Er ecce brachium ipsum miraculose sanatum mox ad tactum femi- næ, quamvis devota miraculosus ad pristinum rigiditatem revertitur. At ille dissimulato quod accideret, Germani salutata uxore ad cellam suam reportari se fecit: Villhelmus autem sanctissimus pater, videns in Spiritu sancto quod accidit, mox ad cellam ægrotantis venit, dicens: Hæc est poena temeritatis tuæ, frater, qui manum Deo consecratam, ipsiusque meritationis sanatum, scemine gloria tactus inani præbuit osculamam. Admonitus deinceps, ne simile feceris, esto: iterumque apprehendens ipsum brachium sancta sua benedictione sanavit, vale- tudinem reduxit. Veruntamen ex ea infirmitate, quoad vixit, semper uno pede claudicavit, quatenus memor eorum, quæ fu- sinuerat, amplius non peccaret: nam cum esset vir tam generis nobilitate clarus, quam ingenii acrimonia sublimis, animique constantia, sapientia, scientia, & eloquentiæ singulari præro- gativa insignis, & magnæ quoque in seculo reputationis, pia Domini castigatione flagellatus est, ne forte omnibus succedentibus

